

denticulis spinescentibus; flore concolore dilute aureo vel superne dorso subpurpurascente.

Variat :

$\alpha$  Janii, caule 1-2-pedali, subefoliato, dichotome ramoso. Huc specimina sicula, cretensis, hispanica et lusitanica.  
 $\beta$  gracilis, caule spithameo, gracili, subfoliato, 1-2-cephalo. Huc specimina canariensis, 5-7 poll. s  
 folia tenera, pleraque radicalia, rosulata, obovato-lanceolata, spinulose dentata, integra v. siqua es  
 1-3, erecti, 1-2-cephali; pedicelli squamosi, clavati; capitula parva, involuci squamæ inferiores doi ni-  
 culatæ, margine scarioso, albo-virente munitæ; flores pl. concolores, rarius dorsi ligulæ parte sup. abpur-  
 purascentes. Species intermedia Picridium tingitanum inter et vulgare, priori radice annuâ affinis, se inter alia  
 involuci squamis angustius et obscurius scariosis discrepans, posteriori magis affinis, sed diversa radice annuâ  
 squamis latius scariosis, flore pl. concolore in P. vulgari dorso ligularum lividè villato.

Sonchus intermedius Cristofori et Jan! Catal., p. 13, gen. 658, sp. 6 1/2 (anno 1832).

HAB. In ins. Canariensis cum P. tingitano.

DISTR. GEOGR. Stirps mediterranea; habeo e Siciliâ : Jan! Cf. DC. pr. VII, p. 182, qui  
 stirpem hanc cum P. lingulato confundit; Cretâ : Sieber! cum P. vulgari; Lusitanâ in  
 arvis primo vere, Martio 1839 : Welwitsch! n. 388 (P. vulgare); Hispaniâ in lutosis reg.  
 calidæ in monte Gibraltarico, 3 Apr. 1845 : Willkomm.! n. 570 (P. vulgare).

### 3. PICRIDIUM CRYSTALLINUM. C. H. SCH. BIP.

P. tingitanum  $\beta$  crispulum Webb! in litt.

HAB. In arenâ maris ad portulum oppiduli Guimar. Pili apice vesiculosi et tota planta  
 micat veluti Mesembryanthemum crystallinum : Webb! in litt. Buena Vista, Teneriffæ :  
 Webb!

DISTR. GEOGR. Stirps canariensis.

Species peculiaris esse videtur. Capitula certe Picridio tingitano similia. Involuci squamæ nempe late albo-  
 scariosæ, ad dorsi apicem, exceptis intimis, corniculatæ, flores supra tubum pilosum violacei et ligula dorso sub-  
 purascentes. Pedicelli in axi foliorum supremorum orientes, pollicares, efolioti, squama una alterave notat  
 cordata. Achænia nondum matura, attamen pappus basi in annulum concretus caducissimus.

Differet tamen a P. tingitano :

1. Radice fusiformi 5-4 poll. longa, superne 3-4 lin. diametro metiente, lignescente, pluricauli.
2. Caulibus cum capitulo speciosis tantum 2 poll. longis, inferne suffrutescentibus, 2-3 lin. diametro metien-  
tibus, ligno duro, amarissimo.
3. Foliis confertissimis innumeris, cæspitosis, linear-lanceolatis, pinnatipartitis, cum pinnis oblongis, dentibus  
 spinescentibus innumeris, inæqualibus conferte exasperatis, crispulis, et pilis simplicibus, apice in vesiculam  
 ovalem dilatatis, confertissimis, albo-cinereis. Corpusculi similes albentes, sessiles, ovales, inflati, etiam in foliis  
 P. tingitani et quandoque P. vulgaris sparsi observantur, quales in nullis aliis observavi Cichoriaceis, et quæ potius  
 ad regnum animale spectare videntur.

### 4. PICRIDIUM LIGULATUM. VENT.

P. infernè suffruticosum; squamis ovato-lanceolato-linearibus, obtusis, herbaceis, mar-